

PROVIDENTIAM DEI
CIRCA RES SINGVLARES
DEMONSTRAT
AC PARTIM VINDICAT

P R A E S E S

M. CHRISTIANVS KASCHVB

GEDANENSIS

IN AVDITORIO MAIORE

RESPONDENTE

FRIDERICO GOTTLIEB BARTH

VITEMBERGENSI - SAXONE

S. S. THEOL. CVLTORE

DIE XIV. FEBR. ANNO MDCCLXI.

VITEMBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.

ll. diss. A
5, 22

541. A 183 (22)

PROVINCIAE
CURIAE
DE
MAGNIFICENTIA

GENEROSE ATQUE STRENUO

DOMINO

DN. GOTTL. GABRIELI



WEIFELHANNI

CIVITATIS

MERITIS ATQUE DIGNITATE

SPLENDIDISSIMO

V I R O

PERMAGNIFICO

MAGNIFICO

GENEROSO ATQVE STRENUO

D O M I N O

DN. GOTTL. GABRIELI

VVEICKHMANN

CIVITATIS PRIMARIAE GEDANENSIS

C O N S V L I

MERITIS ATQVE DIGNITATE

SPLENDIDISSIMO

ATQVE ITEM
VIRO
PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO
CONSVLTISSIMO

DOMINO
DN. IOANNISAMVELI
FERBER

AMPLISSIMI DICASTERII CIVITATIS GEDANENSIS
PRIMARIAE ASSESSORI
LONGE MERITISSIMO

HUNC LIBELLVM

D. D. D.
CLIENS OBSEQVIOSISSIMVS

M. CHRISTIANVS KASCHVB
GEDANENSIS



VIRI
PERMAGNIFICE
PRAENOBILISSIME

Magnum est, quod audeo, hunc cum VOBIS
offerō libellum, qui neque dictionum ele-
gantia, neque auctore sese commendat. Finis,
quem huic praescripti labori, officia respicit, ab illo
explenda, qui PATRIAE FLORENTISSIMAE Muni-
ficentiam atque Liberalitatem ea, qua par est, pro-
sequitur animi pietate. Nullus proinde dubito,

X 3

quin

quin meum institutum, ad hunc finem consequen-
dum unice compositum, VESTRA sitis amplexuri
comitate. Neque est, quod uberiores afferam
rationes, quibus meam excusam audaciam. TUA
enim, PERMAGNIFICE WEICKHMANNNE, in-
doles generosa, quam mihi, patriam relinquenti,
mira significasti facilitate, tantas egit in animo meo
radices, ut in TE suspiciendo singularem mihi fan-
ctitatem constituerem. Cuius ut conseruem me-
moriam, quotidie eam recolo, ac uenerabundus
mecum reputo de patria promerita, legationibus
feliciter obeundis reportata, temporibus adeo
suspiciosus, quibus nauem tueri difficillime licet.
Multa etiam eaque eximia a FratRE TVO SVMME-
VENERABILI atque PERMAGNIFICO, Patrono
meo atque Praeceptore, ad cineres usque DEVE-
NERANDO, accepi beneficia, ex quo hanc salutavi
Academiam. Quo factum, ut Vitembergam, ob
studia

studia TANTI VIRI in me proluxa, non sentirem
urbem peregrinam. Quamquam uero haec acade-
mica tractatio non eius est conditionis, quae TIBI,
VIR SUMME, penitus probari possit, tamen eam
puto ita constitutam, ut materiam mihi suppedi-
tare possit, obstrictissimam TIBI significandi men-
tem. Auitis Illustri decoribus GENTI FERBE-
RIANAЕ tanta tribuitur merito a Ciuibus meis
Gloria, ut, omnes concessuros esse, non dubitem,
me Dignius nomen huic diatribe praefulcire non
potuisse. Itaque accipiatis, VIRI LAUDATISSIMI,
hoc obseruantiae pignus, quod VOBIS demisse tra-
do, VESTRO innixus GENEROSO Animo. Proui-
dentiam diuinam circa res singulares cum inprimis
mihi sumserim demonstrandam atque uindican-
dum, VOBIS persuadeatis, rogo atque obsecro, me
hoc potissimum religiosis habere in uotis, ut pro-
uida rerum mundanarum cura VOS, resque V E-

STRAS

STRAS omnes gratia sua atque clementia protegat,
GENTIBVS VESTRIS fortunam stabilem largiatur,
VESTRA consilia ad exoptatum exitum perducatur.
Meam certe fortunam atque felicitatem mirum in
modum ducam amplificatam, has si supplicationes
Numen Immortale ratas habuerit, atque acceptas.
Nihil mihi unquam erit antiquius, nihil religioni
conuenientius, quam ut, redux in Patriam factus
literatam, quanta fieri poterit, obseruantia, factis
potius quam uerbis mentem meam VOBIS declarem
obstrictissimam. Vos modo, quae VESTRA est
bonos iuuandi uoluntas, in fidem recipite porro

Vittembergae die VII. Febr.

A. R. S. MDCCLXI.

Vestrum obsequiosissimum Clientem

M. CHRISTIANVM KASCHVB

GEDANENSEM



PROVIDENTIA DEI
CIRCA RES SINGVLARES
DEMONSTRATA
AC PARTIM VINDICATA

§. I.

Proposito Aristone, Poeta nobilissimo, providentiae circa res singulares recte eximio, ad ipsam iam iam aggrediamur rem conficiendam, quam superiore loco indicauimus. Varias, hac in lucubratione, afferamus rationes, e lumine petendas naturae, quibus, admodum haec circa res existentes quaslibet cura stabiliri posse, nobis uidetur. Ipsas providentiae formarumque illius cum iam praemiserimus notiones, tanto facilius hanc rem nos peracturos putamus, quanto magis interest, omnes rei cuiusuis recessus ex ipsa ipsius deducere conditione. Licebit igitur nobis ad priorem nostram prouocare dissertationem, ubi illa opus fuerit ad sententiam nostram confirmandam. Ipsam esse circa res generatim consideratas curam diuinam, breuiter in superioribus innui, quod nomine contingentium soleant uenire. In eo uero omnis nunc nostra uigilabit diligentia, ut, eandem in rebus singularibus, quas indiuidua dicere moris est, et imprimis minimis, mira ratione sese conspiciendam praebere, uberius demonstremus. Huius quidem sententiae robur uel ex ipsa indiuidui sumi potest conditione, quam proinde scopo conuenienter sum tractaturus.

A

§. II.

§. II.

Perdifficilem individui notionem distinctius capies, ea si paulisper animo contemplari uelis, quae e philosophorum hic repetam doctrina. Vltimum, quod de re quacunque nosse tibi datum est, illius complectitur internam pugnae absentiam, quam essentiam generatim dicunt. Haec rem non ponit extra mentem existentia praeditam, in cogitationibus potius permanentem. Fac uero, praeter essentiam illi adiungi uaria, quae habere potest, praeter ea, quae iam ipsius infert, dum mente eam agitas, essentia. Pone, illi concedi in rebus, existentibus nomen, determinari ipsi tempus, locum, et in genere omnia, quae possunt ipsi accidere, tum ea, in quibus ponitur eadem, atque res aliae, tum uel maxime ea, quibus ab aliis omnibus, nullo excepto, discernatur. Cogita, hanc praedicatorum ipsi attributorum completionem ita esse comparatam, ut nulli alii, quicquid cogitaueris, aut contemplatus fueris, conueniat, aut inesse possit. Hac ratione uidebis, eiusmodi rem omnibus esse determinatam modis, quandoquidem nil ei accedere, nil demi potest, certa nimirum temporis periodo. Atque hoc omnimode determinatum est, quod individuum dicunt. Ambiguum scio omnimodae determinationis usum, quod tum rem existentem, tum individuum denotare solet. Caue uero utrumque confundas. Placet, ad hanc euitandam permixtionem, paucis attingere determinationis, quae circa res locum habere possit, naturam. Eam nimirum statuo triplicem. Primam possibilitatis, qua rei conceditur interna praedicatorum consensio. Alteram actualitatis, qua in existentibus nomen consequitur. Postremam denique relationum. In existentia determinantur quidem rei modi primitiui et absoluti, neque tamen deriuatiui et relatiui. Ais forsan, quamlibet rem existentem esse in relatione effectus ad causam. Est, quod fateor, relatio primitiua, quae cum aliis copulatur, non deriuatiua. Neque scio, an recte existentiam omnimodam dicere possis determinationem, nisi proprium uocis deserere uelis significatum. Namque in ea non determinatur essentia rei, quae rectius supponitur, cum nil actum consequi possit, quod careat essentia. Neque per existentiam est in certa relatione deriuatiua et speciali, de qua paulo ante fecimus sermonem. Itaque poteris determinationem omnimodam et laxiore, et angustiore sumere notione. Priore existentiam denotat. Postiore

) Plura suppeditat Canzius, quae arduam individui notionem faciliorem reddunt Cap. XVII. Med. Phil. ubi singularis rei et uniuersalis persequitur conditionem in utramque partem.

riore complectitur determinationem et possibilitatis et relationis specialis atque derivatiuae. Hac imprimis efficitur, ut res individuum dici mereatur. Ex allatis facile perspicias, rem individuum reperiri inter eas, quae actum extra mentem iamiam sunt consecutae. Neque enim ea, quae mente sola agitantur, nomine individuorum appellamus, illud iis rebus potius attribuentes, quae sine omni mentis cogitatione nomen ducunt.

§. III.

Diximus in superioribus, providentiam rerum creatarum prospicere incolumitati. Iam, dic quaeso, nonne res individua creatae rei nomine proprie salutanda? Illas enim dicis creatas esse res, quas, e possibilitum numero, praepotens auctor transtulit in actualium h. e. quibus concessit existentiam. Certo ergo est certius, summi Numinis curam individua attendere, quia suat res illae creatae, quae ipsius requirunt praesidium opemque. Genera enim et species, quas notiones forte in mente habes, proprie non diceres res creatas, sed harum similitudines. Scis enim has rerum formas non separatim existere, neque extra mentis esse cogitationem, sicut res singulares. Pluribus enim rebus insunt singularibus. Noli tamen tibi persuadere, me harum formarum tollere providentiam. Conseruantur enim rebus singularibus saluis, quarum sunt similitudines. Neque scio, an alia ratione genera et species conseruari possint, nisi conseruentur ea, quibus insunt. Fac Deum uelle conseruare genus animalium, speciemque hominum. Quomodo, quaeso, hunc obtinebit finem, si singulos negligat homines, singulaque perire sinat animalia? His sublatis, corruent omnia. *) Complexio enim omnium hominum singulorum, animantiumque indiuiduarum deum efficit, ut illorum species, harum genus maneat saluum. Hoc quoque non nego, Deum integram rerum creatarum speciem, integrumque genus earum, pro praestantia sua, magis eximia quadam amplecti cura. Hoc enim ex fonte providentiae deduxi discrimen. Enim uero hoc alia ratione efficere nequit, nisi singula illarum specierum atque illorum generum indiuidua sollicite attendat. Pertinet ergo summi Numinis providentia ad omnia, quae indiua-

A 2

*) Id pro subtilitate ingenii sui Grotius animaduertit de uerit. Rel. Christ. L. I. S. VI. Ipsa rerum genera, quae a Deo conseruari, illi ipsi auctores agnoscunt, non subsistunt, nisi in singulis, ita, ut, si singula perire possint, abdicata a providentia diuina, possint et ipsa genera.

individuum veniunt nomine et venire possunt. Quare nulla res ea excluditur, quae in hac rerum existit collectione. Vnde ea, quae dicis minima, tanto minus negliget, quanto certius est, ea esse res singulares, quales Dei curam attingere paulo ante demonstraui. Tua tamen pax, hac occasione, quam mihi obtulisti, uidebo, an recte rem aliquam creatam minimam dicere possis. Constat enim quaelibet sua essentia, gaudet actualitate, habet attributa, modos atque relationes. Eundem habet creatorem, quem tu, quem ego. Cum caeteris mundi partibus connexa est arctissima ratione, ita, ut haec rerum coniunctio periret, aut euaderet alia, si uel unicum horum minimorum tolleres aut immutares. Finis certe eximius, quem omnis res creata oculis cernendum sistit, per haec minima maxima obtinetur ratione. Natura nonne in minimis maxima? ³⁾ Ex effectu si rei indoles esset diiudicanda, minimum quodlibet duceres maximum, quod plerumque, ne dicam semper, manifestiores mundi mutationes e rebus deriuandae sunt minimis. Dictis si assentiri nolis, adeas, quaeso, rerum gestarum narrationem. Congere facta praestantissima, bella omnium temporum vastissima. Quid his praebuit originem? res minimae. Neque minima dici possunt, quaecumque sunt in mundo, cognitionem eorum intellectus diuini, si respiciamus. Sortita sunt hoc nomen a nobis, praecognitis occupatis sententiis atque affectibus, rebus, pro lubitu, qui solemus pretium tribuere. Hinc est, quod tot tantaeque inter homines reperiantur dissensiones, si rerum determinanda sit praestantia, quam alii potiore cernere sibi uidentur in iis, quas alii habent uiliores. Testantur hoc eruditi imprimis, uarii qui delectantur rerum creatarum generis accuratiori notitia. Nec scio, an tam praeclara in rebus tuis maximis cernere possis specimina uariarum diuinarum perfectionum, atque ego in meis minimis. Scientiam enim illam duco magis eximiam, quae minima quaelibet distinctissima intuetur ratione, quam eam, quae crassiorum maiorumque tantum gaudet notitia. Vastae sapientiae hoc est indicium, si quis uel minima fini scit adaptare maximo, atque cum caeteris miracula connectere ratione. Artificiose animantis minimae, an maximae fabrica? In se certe cuiuslibet animantis atque alius rei creatae structura attentionem mouet. Attamen nil in maiorem nos coniecit admirationem, quam si animalcula consideramus minuscule, quae oculis demum senum armatis. Omnes in eiusmodi

³⁾ Plinius in Hist. nat. L. XII. c. 2. eleganter maxima cum minimis comparat. *Tur- rigeros elephantorum miramur humeros taurorumque collos, et truces in sublime iaculis: tigris raptas, leonam iugas, cum rerum natura nusquam magis, quam in minimis, tota sit.*

eiusmodi rebus deprehendi partes, quibus gaudent, quas potiores ducimus, easque omnes inter sese arctissimo nexu esse uinculo, creatorem arguit potentissimum, perspicacissimumque. His rationibus inductus, nullam rem, quaecunque sit, ob uilitatem uel formam minorem, prouidentia excludo, potius ita rationes compono: quo res minor, quo abiectior nobis uidetur, eo potiora eximiaque magis, multis in partibus, exhibet prouidentiae documenta. Neque ego solus sum tam rudis rerum aestimator. *) Consentiunt mecum (etsi non praecise circa res spectatas, ut creatas, tamen ut artis consideratas opera) ii, qui picturis imaginibusque delectantur. Delineatam certe imaginem, minimae figurae, potioram praestantiorumque ducunt illa, quae eandem rem maiore exhibet forma, facilius quippe penicillo exprimenda. Bene quippe hi sunt nari, pictorem artificiosorem ad illam requiri conficiendam, atque ad hanc, quam artis pictoriae tyrones primo sibi sumunt loco elaborandam, sensim sensimque minore forma eandem describentes rem.

§. IV.

Considera, si uolupte tibi fuerit, omnem hanc rerum uniuersitatem, tanquam rem quandam totam, eamque integram, singulas uero, quas in ea deprehendis, res, tanquam ipsius partes, ut dispiciamus, quid hoc ex capite nostrae accedat causae. Nolo uberius hic declarare, qua partes se habeant ratione ad totum. Hoc quippe, simul sumtae, efficiunt, neque, una parte uel amissa uel deprauata, totum manet saluum integrumque. Tantum te facere uolo certior, me tale potissimum, ex omnibus, intelligere totum, quod efficiatur partibus uariis, inter sese arctissime nexis, iisque penitus saluis. Neque est, quod magna rationum copia tibi demonstrarem, hac notione concipi animo posse totum uastumque hunc mundum. Scis enim ipsam mundi notionem iamiam indicare, quaecunque sint in ipso, esse inter sese deuincta arctissima ratione. Itaque ponis curari a summo Numine totam rem, totam rerum connexionem. Ita uero ipse fateri debes, illud partium singula-

A 3

rum

*) Audi, si placet, Ern. Sal. Cypriani, Theologi summi ac Philosophi de eligenda inter Christianos Religione dissidentes sententia consultationem Cap. L. §. 4. Cum tellus ad mundi machinam comparata uix instar arenulae sit, quae et ipsa maximam partem mortalium notitiam fugiat, contineatque innumerabiles creaturas cum suis finibus, utilitate, relationibus ac munere nobis incognitas; perinde colligimus, inordinata esse, aut toti machinae inutilia, quorum utilitatem nos haud perspicimus, ac si quis utensilia nullum usum in culina praebentia, tanquam in uniuersam domum nihil allatura utilitatis, abiiceret.

rum individuarumque habere rationem peculiarem, propterea quod hae de-
 mum totam rem efficiunt. Curet enim totum, neque partes, adest in tuis
 sermonibus repugnantia manifesta. Partes enim omnes iunctim sumtae effi-
 ciunt totum, quas ex tua sententia non attendit, qui totius gerit curam. To-
 tum ergo negliget ille, qui ipsum curat. Alia enim ratione totum seruari
 nequit, nisi singulas ab interitu iniuriaque defendendo partes. Hanc sane
 ob causam nemo non uidet, uel minima distincta peculiarique foueri a pro-
 uido rerum patre cura, cum sine dubio partes sunt huius uniuersi, caeteris
 artificiosissime interpositae. Hoc enim maximum nostrisdictis afferri pot-
 est robur, quod huius totius mundi res non in se sunt tantum modo spectandae,
 sed potius in illa, quae ipsas inter et caeteras intercedit, relatione. Ita enim
 quaelibet res cum caeteris est copulata, ut, si periret, aut damnum accipe-
 ret uel leuissimum, non tantum ipsa, sed proxime quae cum ea connectuntur,
 perque has, (cum rursus habeant sibi annexas) tota rerum collectio in priore
 casu periret, in posteriore mutaretur in deterius. Horologium certe quo-
 dammodo, uel catenam, cuius singula arcte cohaerent membra, dictorum
 afferre possum in illustrationem. Illud enim qui cupit esse integrum fun-
 ctionique conueniens, sollicite attendit ad omnes singulasque ipsius partes,
 uel minimas, modo aliquid habeant momenti, caeterisque quomodocumque
 inferuiant. Vna alteraue huiusmodi parte laesa, laesum erit ipsius horologi-
 um, neque finem per ipsum dextra amplius assequetur ratione. Pari modo
 tota catena dissoluitur atque mutilatur, unum si auferas ab ea anulum. In
 hac pariter atque caeteris huius generis rebus compositis una parte laesa,
 ipsa pars altera per se non laeditur, nisi coniunctionem respicere uelis. Po-
 nas uero unam partem alteri tam arcta appositam ratione, ut mutationes
 unius alteram quomodocumque afficiant. Finge, hanc partium conditionem
 atque connexionis naturam per integram rerum omnium seriem, a prima
 usque ad ultimam, continuatam, et facile intelliges, singulas seorsim tuen-
 das esse partes, ne totum accipiat quid detrimenti. Hoc ipsum societatis
 civilis consideratio quemlibet docet. Haec enim quam primum periret, si
 principes uel magistratus quasdam modo partes obseruarent, caeteris negle-
 ctis. Quot enim turbas uel unus homo sceleratus atque infimae sortis non
 excitat! Quam uilis uidetur uictus priuati ratio, cuius tamen curam Graeci
 Romanique, in legibus sumtuarius, gerendam putarunt, quod ex minimorum
 negligentia maximarum rerum perturbatio consequitur. Eadem sane ratione
 omnes,

*) Hoc illud est, quod Cicero de Officiis Lib. I. c. 25. discrete praecipit e Platone, ut
 totum corpus reipublicae curent, qui reipublicae praefuturi sunt, ne, dum par-

omnes, quae mundum constituunt, partes inter sese cohaerent, ut nulla superesse nobis possit dubitandi ratio, singulas esse curandas ab eo, qui totum mundum permanere, finique sibi proposito convenire haud interrupta ratione, intenderit.

§. V.

Altioris iamiam adferam originis rationes, quae omnem eximent de cura Numinis circa res singulares scrupulum. Quas ex ipsius deducam Numinis, quod ueneramur, diuini perfectionibus. Inter has praesertim intellectus, qualis Deo inest, infiniti natura uberrimam praebet sententiae meae confirmandae materiam. Illius enim hanc scimus esse indolem, ut uno actu sibi distinctissime sistat omnia, quae cogitatione possunt comprehendi. Perfectissima intuetur ratione quaelibet, quae esse possunt, quaelibet, quae sunt. Concreta non tantum uidet, sed et subtiliora, quin subtilissima quaeque. Nouit accuratissime omnia, quae in hac rerum uarietate reperiantur, minima. Quae non tantum considerat in complexione sua, sed secundum singulas, easque minimas, partes, neque in se solum, sed potius in ea, qua cum caeteris copulantur, coniunctione. Perspicit accuratissime, quid quaeque harum rerum in connexionem ad alias, imo ad totum uniuersum conferat, et quas consecutiones habeat. Mutationes omnium rerum, uel minimarum, eaeque minimae, eius non fugiunt notitiam. Cognoscit has mutationes, earumque ad alias mutationes relationem, qua inter sese uel originem praebent, uel obiecem ponunt. Harum rerum, mutationum, earumque coniunctionis modi, conditionem omnem repraesentat sibi, non tantum actualem, sed et quamuis possibilem. Huius praesertim uniuersi, explicatae mox indolis, notitiae non deest cura uoluntatis perfectissimae, consummatum intellectum ducem illico sequens, cum primum sibi sistit rem existentem. Intuetur quippe eam profundus rerum scrutator, et in se, et in omnibus suis uiribus facultatibusque, contingentem, ideoque imbecillem. Quare, cum adsit, in quo suam exerceat uoluntas perfectissima operam, hanc rem uult permanere, uult ipsius sustentare vires, eiusque mutationes ad optimum dirigere finem. Quod ipsum constituit interiorem prouidentiae notionem. Quae omnia facillime uel ad minima trahi possunt. Fac uero, Deum curare

tem aliquam tuentur, reliquas deserant, quod, qui parti ciuium consulant, partem negligant, res perniciosissimas in ciuitatem inducant.

rare genera et species, individuis neglectis, duplex dari potest ratio, ob quam ita providentiam concipiendam statuas. Aut enim ais, Deum genera et species sibi sistere intellectu suo, ignoratis individuis, aut ea unice contemplari, individuis tantisper sepositis. Primum, caue, ne asseras. Hac enim ratione subtrahes aliquid scientiae, quae omnia penetrat. Alterum si sumis, aut nihil uideo, aut Numini tribuis operationem, qua homines, coacti imbecillitate sua, res quasdam considerant seorsum, caeteris tantisper e cogitationibus remotis, quod tamen omnia intuetur simul, uno actu immutabili.

§. VI.

Addam adhuc aliud, providentiae circa res singulares, indubitata ratione ab omni concedendum praesidium. Ex omnipraesentiae hoc me ducere scias licet interiore conditione, quam mihi tam latam concipio atque amplam, intimamque, ut pertineat ad totum uniuersum, singulas ipsius partes, omnes, minimas, harumque partium partes omnes, singulas, minimas. Nullam proinde rem, uel rei partem minutissimam, puto esse, quam sua summus rerum Auctor non dignetur praesentia. Age uero, dispiciamus nunc, quomodo ex his deduci possit circa res singulares, cura. Pone mecum, reuerentia perfectionisque diuinae inductus meditatione, omnibus adesse Numen rebus. Ita uero facile intelliges, illud, rebus omnibus, quippe efficacissimum, non otiosa adesse ratione, sed mirum in modum in eas suscipere operationes, easque ita ordinare, ut indigentia rerum, ab intellectu repraesentata, postulet. Rerum uero rationem si paulisper consideraueris, eas tria potissimum, spectatas tum in se, tum in relatione cum caeteris, quibus perapte sunt appositae, requirere uidebis. Nimirum ut permaneant, tum in existentia, tum in ui effectus naturae suae consentaneos edendi, et ut mutationes earum fini subiiciantur ultimo, a creatore seniel constituto. Qua propter nemo, qui secum diligenter cogitat, Numen praesens simul operari, in dubitationem uocabit, Deum res singulares cura sua amplexari, quibus non praesens modo est, sed in quas etiam sic agit, ut cuiusque in-

columitas

8) Talem praesentiam ueteres intimam uocant, quos noui sequuntur. Ex his more suo Illustris Wolfius grauitate definit, quid rei dicatur intime praesens, illud uidebit, quod sic adest, ut in re nihil concipi possit a tota diuersum, et diuersum ab aliis, quae simul ad eandem pertinent, cui non sit praesens. Haec deinde ad intimam Dei praesentiam accommodantur, qua rebus est omnibus praesens §. 1050. sqq. Theol. Nat. P. I.

columitas ac totius uniuersi salus postulat: En nouissimum curae circa res singulares argumentum!

§. VII.

Conferamus cum his, de quibus hactenus sermonem fecimus, eas rationes, quibus haec Princeps doctrinae infirmare uoluit, una cum placitis, quibus auctores epistolarum, noua literarum attingentium studia, eius sententiae robur addere fategerunt. Enimuero methodi memor accuratius hic puto significandum mihi esse, quidnam sit id, de quo disputetur. Hoc ut peragam, latere nolo, Sanfussensem Philosophum nequaquam ipsam negare prouidentiam diuinam, quod uel ipsa testatur epistolae septimae, ad Maupertuisium datae, inscriptio, hanc in sententiam expressa: La prouidence ne s'intéresse point à l'individu, mais à l'espece. Itaque putat, Deum curare res extra se. At in eo omnem suam impendit operam, ut, prouidentiam circa res singulares quaslibet, uel minimas, temere sumi, monstret. Ad quam sententiam demonstrandam haec, missis caeteris, ipsius afferam uerba: Le Ciel n'occupe point la suprême sagesse; Quoi notre individu, quoi nos nombreux besoins méritent-ils sur eux de distraire ses soins? et paulo post: Mais l'Etre tout-puissant ne se met point en peine du rôle, que je joue, et du sort, qui m'attend. Quare cum in antecedentibus hanc numinis curam nonnullis demonstrauerim rationibus, non superuacaneum puto, eius si rationes tantisper illustrandas mihi sumserim. In hoc uero negotio me scias licet ita uersaturum, ut rationes ipsius eo ordine percenseam, quo deprehenduntur in epistola laudata, ad Maupertuisium scripta, uerba ipsius semper dictorum in fidem allaturus. Requisitis rationibus ipsius Philosophi Sanfussensis, ea demum afferam, quae epistolarum, noua literarum studia attingentium, auctores eruditissimi eius in defensionem proferre uoluerunt.

§. VIII.

Statim ab initio suae de prouidentia tractationis, Philosophus Sanfussensis putat, plerasque res singulares esse uiliores, quam ut a Deo curentur. Ita enim ille: Non, ne présumez point, sublime Maupertuis, que Dieu re-
gle un détail trop au dessous de lui, de nos frères destins, de notre petite-
B teste

tesse. Accuratus hanc ut meditatione illustrem dubitationem, placet in artis eam redigere formam, more Leibniziano in Theodicaea. 7) Ita rationes subducit Philosophus Sanfusenſis:

Quaecunque ſunt uilia, ea non ſubſunt prouidentiae

Atqui pleraeque res ſingulares ſunt uiles

Ergo pleraeque res ſingulares non ſubſunt prouidentiae

Singulas huius ſyllogiſmi enunciaciones accuratori ſubiiciamus examini. Ad primam quod attinet, magna laborat ambiguitate, ob uariam rerum uilium ſignificationem. Eam ſcio duplici inprimis uſurpari ratione, nimirum, ut uel res ea indicentur, quae abiectae dicantur absolute, uel ut eas demum hac uoce comprehendamus res, quae collatae cum aliis, uiles nobis uideantur. Priore ſenſu nulla in hac rerum collectione exiſtit res uilis, (cuius rei ſupra §. III. iam feci ex inſtituto mentionem,) propterea quod unaquaeque gaudet iis, quae ad ipſius naturam perfectionemque requiruntur. Poſteriori ſenſu multa largior eſſe uilia, ab hominibus hoc nomine denominata. Enim uero, numne prouidentiae putas noſtro iudicio, omnem rerum connexionem haud perſpiciente, determinari poſſe ea, circa quae ſuas exercent actiones. Itaque ueritas ſi maiori attribuenda eſt propoſitioni, uilia eadem debent intelligi in ſe talia. Hoc temperamento ipſi appoſito, minor nunquam confirmari poſteſt, quandoquidem nulla res ſingularis proprie in ſe uilis eſt. Maximum hanc rem diiudicandi praefidium in connexionis, quae cum aliis copulatur, meditatione quaerendum. Hanc enim qui conſiderat, rerumque geſtarum narrationes cum ea conferre uult, nae ille perſpiciet, quam plurimae res, mutationes, facta, uilia uideantur, quae, ratione conſequentiarum, maximi euadant momenti. His ſi prouidentiam ſubtrahis, magno indigebis eoque maxime mirabili illam intuendi ſubſidio atque argumento. Quae eo amplior concipitur, quo uilioribus rebus in adminiſtrandis, iisque maximis apponendis, ſapientiffima occupatur ratione. Originem regni Parthici, ſi uolupte tibi fuerit, in memoriam reuoca. Qualis illa? Historiarum ſcimus fide, illud rei uili initium debere ſuum. Hoc nimirum hanc rem referunt modo, ut, ſeditione ab Arſace, fratre Tiridatis, quem Agathocles, Praefectus Antigoni, ad libidinem ſuam explendam adhibere uolenta uolebat ratione, excitata, enecatoque Agathoele, ſenſim ſenſimque

7) pag. 634. Breuis delineationis totius controuerſiae in forma ratiocinandi.

simque collatio enata fuerit hominum, mox in amplissimam crescens ciuilem societatem. 8) Factum sane uile hominibus talibus uideri poterat, uenerem cum puero exercere, quod tamen maximi euasit res momenti. 9) His si subscribere uis, quemadmodum rerum exigit ratio, facile intelliges, uim deesse ratioe inio, propterea quod duplici uilia accipiuntur significatione, hanc in sententiam:

Quaecunque sunt uilia (absolute,) ea non subsunt prouidentiae

Pleraque res singulares sunt uiles (comparate non absolute)

Pleraque ergo singulares res non subsunt prouidentiae

Sic plures tribus terminos argumentatio complectitur, praeter ratiocinandi regulas. Sed ita mortales sunt comparati, ut, quod ipsis exiguum praestat fructum, uile per se pronuncient. Quis capillum non iudicat uilem, qui tamen artis est tantae, ut hodieque physici, in eius mirabili fabrica indaganda laudandaque uersentur. 10) Inprimis eruditi saepe numero hic iudicium praecipitant, quando sua quisque arte delectatus contemnit alterum. Habet enim ars quaelibet suam praestantiam, qua caeteras superat. Haec multos adeo capit, ut alias artes spernant ac pro nihilo putent. Nos potius modestum feramus de mundo iudicium, nec quicquam in eo putemus superuacaneum, cuius nos commoditates non perspiciamus. Quodsi nobis nihil profunt, profunt aliis, lacunam certe explent, qua tota mundi compages alias laboraret.

§. IX.

Altera, quam Princeps sapientiae sibi obortam, prouidentiae circa res singulares contrariam, uerbis significat, dubitatio necessitatem respicit, quae in omnibus obseruetur rebus factisque mundanis, propterea quod omnia, in

B 2

haec

8) Vid. e ueterum monumentis Vaillant in Regum Parthorum Historia, ad fidem Numismatum accommodata pag. 3.

9) Consimiles euentus e rerum monumentis gestarum congeffit Libellus nigidus, inscriptus, grosse Begebenheiten aus kleinen Ursachen.

10) Pluribus incredibilem pili artem descripsit Boerhauus, Explorator naturae doctissimus, in oratione frugifera, de comparando certo in physicis.

hac uarietate, secundum leges eueniant immutabiles, materiae aeternae a Numine impressas. His inductus, superuacaneam putat singulariura curam. Quam rem deinceps, paulo inferius, exemplo artificis illustrat, a machina semel confecta atque legibus ordinata manum remouentis. Ita enim ille: Ce moteur inconnu, cette cause premiere, en donnant une forme à l'antique matiere, aux êtres imposa ses immuables loix etc. et paulo inferius, Tel sûr de son ouvrage un Horloger expert agence des ressorts pour agir de concert, et donne au mouvement son allure constante; Au principe moteur la montre obéissante, dans l'absence du maître accomplit ses desseins. Tenebo eum haec disceptandi ordinem, quem circa primam iam adhibui dubitationem. Itaque hae arte prolatae ipsius sunt meditationes:

Si materiae aeternae impressae sunt leges immutabiles, secundum quas omnia necessario eueniunt, non opus est singularium prouidentia.

Sed illud est

Ergo et hoc.

Prius membrum plura nobis exhibet enodanda, quae singula scorsum ex ordine percurramus. Videamus primo loco, num sit, quae conceptis supponitur uerbis, materia aeterna, naturam deinceps contemplemur legum, quas euentus mundani sequuntur, sibi praescriptas, dispiciamusque, an immutabiles sint concipiendae. Quibus confectis, necessitatem rerum mutationumque, accuratius, naturae earum consentaneo modo, determinemus. Agmen tandem tractandorum perlustratio claudat similitudinis, ab artifice horologium aut aliam machinam conficiente sumtae.

Ad materiam quod attinet aeternam, eam a multis antiquitus iam scimus acriter defensam, propterea quod perdifficile nonnullis fuit intellectu, mundum creatum esse e nihilo. Quam loquendi formulam absonam iudicauerunt, enunciatione, ex nihilo nihil fit, male intellecta atque applicata. Nimirum triplicem puto nihili esse significationem. Prima denotat repugnantiam, e qua certe quid unquam fieri nequit, quod ea omnia, quae existentiam consequuntur, interna carere debent notarum pugna. Altera, nihili uoce indicatur, rem aliquam existentiam nondum esse consecutam, quam

B 3

quam tamen possit consequi. Postremo denique, et rem ea indigitamus, debita nondum praeditam forma. Primum nihilum dicunt repugnantiae, alterum negatiuum, priuatiuum tertium. Age, his praemissis, nunc dispiciamus, quo sensu accipi debeat nihilum, si, ex eo quidquam fieri posse, negetur. Primum plane missum facio, quod huius conditionis res in ea referuntur, quae fieri non possunt. Nihilum uero negatiuum atque priuatiuum si intelligatur, uarie determinari debet propositio, hunc in modum:

aut Ex nihilo (negatiuo) (tanquam a causa efficiente) nihil fit

aut Ex nihilo (negatiuo) (tanquam e causa materiali) nihil fit.

aut Ex nihilo (priuatiuo) (tanquam a causa efficiente) nihil fit.

aut Ex nihilo (priuatiuo) (tanquam e causa materiali) nihil fit (ui finita)

Si mundum dicimus e nihilo productum, duplicem habemus mentem. Nimirum antea mundum hunc potuisse esse, idque potestate Auctoris Praepotentis, hoc modo, ut primo loco produxerit rudem indigestamque molem, (e nihilo negatiuo,) exque hac caeteras segregauerit mundi partes (tanquam e nihilo priuatiuo.) Sed haec uelut aliud agendo, materiam potius accuratius considerare lubet, aeternam, e qua omnia perhibentur esse deriuanda. Quam nunquam contemplor, quin mirer, eam hodieque suos habere posse cultores. Repugnantia est in causa huius meae admirationis, quae, ea assumpta, manifestissime concedi debet. Ponitur enim esse existantiae suae parens. Huius uero res conditionis omnem respuit mutationem, quam fautores illius tamen ei attribuunt, eam cum statuant a Numine diuino diuersas accepisse formas. Has enim cum acciperet, sine dubio alio se habebat modo, alias sortita est sui determinationes, atque ante. Accedit, difficulter determinari posse ipsius originem, utrum eam habeat a Numine, quod ueneramur, diuino, an a se ipsa. Prius enim si sumis, cadet iterum ipsius aeternitas, posteriori si subscribere uis, entia uenerabimur duo aeterna. Perhibetur porro a Numine has, quibus gaudeat, accepisse formas. Enim uero numne putas, rei aeternae, cui omnes competunt perfectiones rei infinitae, ab alio quid posse attribui. Neque ullus ambigo, quin ab ipsius, quae ei assignatur, natura deduci possit eius manifestae repugnantiae argumentum. Ponunt enim eam rem compositam, quod ex ea innumerae poterint proficisci rerum aliarum substantiae. Eiusmodi uero res necessario omnis incapax est aeternitatis, quae omne respuit existantiae initium. Ne-

que enim res euadit composita, nisi partes inter se combinentur. Quam partium materiae tuae aeternae copulationem aut ab ipsa illa deriuas, aut ab alio. Priore casu extitit aliquando, cum nondum existeret. Si ab alio, habet initium, ideoque temporaria salutabitur. Entis aeterni, ut hoc unicum addam, oppositum nunquam existere potest, neque ipsum interire potest. Materiae certe aeternae, tanquam entis compositi, contrarium esse potest, ipsa, partium resolutione, interire potest. Tantum abest, ut eam nominem aeternam, ut potius materiam aeternam relinquam ueteribus philosophorum, a uero hic aberrantium, studiis ¹¹⁾

Alteram sumo antecedentis partem, quae leges rerum mundanarum statuit immutabiles. Has leges, scias uelim, duplicis esse generis. Aliae in rebus simplicibus, aliae in concretis obtinent. Priorum uis omnis ad repraesentationem reducitur rerum. Posterioribus attribuimus uim mortuam. Leges uero, secundum quas simplicium dirigitur repraesentandi uis, dicimus logico-morales, quemadmodum eas, quas concreta in motionibus suis obseruant, physico-mechanicas dicere est moris. Incipiant posteriores. Has, ad unum omnes, ita scimus esse ordinatas, ut nec immediate, nec mediate in essentia rerum fundentur. Satis superque constat, essentiae ipsarum rerum non repugnare, aliae si ipsis praescribantur regulae. Hocque peculiare duco in his, quod omnes leges, quas hucusque de rebus cognoscimus concretis, aliquam supponunt conditionem. Quare, cum hanc abesse posse, nemo ire facile audeat infitias, quilibet concedere cogitur, ipsas leges alia posse esse instructas ratione, Motum, ut hunc exempli adducam loco, negant posse proficisci a corpore ipso, si quiescat. Tolle conditionem quietis, ipsam tollis legem. Difficilior uideri poterat quaestio de legibus, quas mentes obseruant, in rebus contemplandis, appetendisue. Priores, quae contemplationem rerum conformant, si mentibus infixae essent immutabiles, nulli obtinerent errores uniuerso tam noxii. Posteriorum, quibus appetitiones reguntur, mutabilitatem testantur scelerati, qui bonum postponunt malo, errore intellectus, qui tamen iure bonum sibi distinctius debebat sistere. Neque est, quod obiicias, hac ratione non effici, ipsas leges esse mutabiles. Scis enim, leges immutabiles, quales tu in animo habes, simpliciter

¹¹⁾ Disputat de aeternitate materiae in utramque partem subtilissime Cudworthus in Systemate intellectuali pag. 943. sqq. et pag. 992. sqq.

pliciter tales uiolari non posse. Quodsi enim Deus, ut hoc distinctius percipias, mentibus regulas indidisset prorsus immutabiles, ipsis eripuisset libertatem, neque hae sponte, distinctam sequentes cognitionem, optimum ex omnibus eligere possent.

Necessitatem, quae a Philosopho Sansussensi non obscure adscribitur euentibus mundanis, in iis locum habere largior, modo recte accipiatur huius necessitatis significatio. Ipsa enim mihi est hypothetica, qua contrarium esse nequit, propterea quod adest, in quo euentus suam habent rationem. Neque est, quod uberius, eam in euentibus esse mundanis, confirmem. Nulla enim res cum esse possit, nisi sit alia, e qua possit deduci, posita aliqua re, quae contineat in se rationem alterius, ipsa haec necessario erit aut praesens iam, aut futura. Omnem uero aliam nego necessitatem, quocumque ueniat nomine, quod ipsi repugnat huius uniuersi natura. Noli tamen tibi persuadere, me immutare mundi conditionem, quod necessitatem tribuerim mundanis. Scis enim, necessitatem, qualem ego statuo, hypotheticam non tollere rerum omnium naturam contingentem. Neque enim principium earum necessitatis in iis ipsis deprehendisse me praedicaui, sed in rebus aliis externis. Quare cum abesse possint, quae aliorum contineant rationem, ipsas quoque abesse posse, quilibet, sano praeditus intellectu, uidet.

Artifex, horologio confecto, ab illo manum remouet, propterea quod ipse non materiam, e qua conflatur horologium, produxit, sed tantum partes apte composuit. Deus uero non omnem modo uniuersi connexionem sua esse iussit uoluntate, uerum etiam singulas ipsius partes, harumque partium partes ornauit. Quare tanto minus illum cum artifice conferendum puto humano, quanto magis differt materiae et formae largitor. Posteriolem horologium artificei, utramque mundus Deo debet. Neque scio, an prorsus relinquendum sit horologium semel confectum, si scopo semper ex asse debeat respondere. Subinde haec aliaue ipsius pars emendanda est atque mutanda. Licet uero hoc praecise ab artifice fieri non debeat, fiet tamen ab alio, cui horologium praestat fructum. Quibus rite perpensis, dubitatio caret ueritate, ob minorem illi repugnantem:

Si

KVI PROVIDENTIA DEI CIRCA RES SINGVLARES

Si Deus materiae aeternae impressit leges immutabiles, secundum quas omnia necessario eueniunt, sequitur, ut superuacanea sit prouidentia.

Atqui 1) materia aeterna non est, nec esse potest

2) leges mundanae sunt contingentes

3) necessitas in rebus, ad hunc mundum pertinentibus, hypothetica quidem est, sed contingentiam earum non tollit.

Ergo has ob rationes maxime necessaria est prouidentia,

De caeteris dubitationibus, quibus fuit prouidentia diuina circa res singulares minuta, alio tempore, si Deus fieri, agam. Hunc enim laborem leges mihi praescriptae duabus plagulis terminarunt, quarum modum excedere nolui.

